

Urkundenbuch der Reichsabtei Hersfeld. Erster Band (Ed. Weirich) Nr. 96

Noverit omnium fidelium tam presentium quam et futurorum industria, qualiter quidam nobilis homo Guntherius nomine tradidit decem mansos ex hereditario predio suo et de predio filiorum fratris sui Sizo nomen habentis in locis Salzaha Ottinscvoha cuidam Meinheri venerandi abbatis militi Lanpreht nomen habenti et una etiam Rodolfo predicti Guntherii vassallo eo tenore, quod idem Lampreht et RODolf eosdem mansos in cuiuscumque manus predictus abbas petat tradant et, si quis hanc traditionem manu promptam frangat, ipse Guntherius et heredes eius mansos recipiant in propria ut prius. Ipse etiam huius affirmatione pepigit se ipsum et filios eius filiosque fratris advocacionem super haec loca habituros: Ordorf, Wechmar, Collithi, Waltsazi cum suis pertinentiis. Quodsi haec advocatio his, quibus nunc pro beneficio data est, ablata et aliis umquam tradita fuerit, heredes Guntherii mansos suprascriptos in usus suos recipiant. Quisquis autem hanc advocacionem hoc pacto teneat, ut ipsius abbatis miles sit et quinque scutatos ad orientales partes in expeditionem mittat et his etiam abbas victus necessaria prebeat. Huius traditionis testes sunt isti: Engelpreht capellanus imperatoris. Odo comes, Willihelm marchio, Otto comes, Gebehart, Gerlach comes, Reginhard pincerna imperatoris, Odalrich, Bertholt, Wego, Hugolt, Hard, Erchenbold, Suidiger, Albwin prepositus, Albwin, Albolt, Mazacho, Altbolt, Tiemar, Azilin, Dingolf, Romunt, Folcham, Diedolf, Bennecho, Reginhard, Siger, Heriprath. Haec autem acta sunt in castello quod vocatur Wihi in kalendo augusti et ad vincula sancti Petri, regnante venerabili imperatore Heinricho et beatissimo Bardoni episcopo procurante Magonziam et reverentissimo abbate Meinhero regente Herespheldensis aeccliesiae abbaziam.